



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 13. Sitné licitus ille contractus sortis, qui vulgo Fortunæ vrna solet
appellari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

fantis contagij pestilentis, sortiri corporum pariter, ac animarum medicos, quis eorum permanere in auxilium ægrotantium debeat: quod etiam supra vidimus ex mente S. Augustini, tempore hostilis persecutionis, factitatum. 4. licitum esse, etiam coorta tempestate, quis ex omnium consensu, è nauis exoneranda sit spargendus; aut quis ad hostem deprecatum, per tela, per ignes, mittendus. 5. eleemosynas quoque ipsas, si incertum sit, cui cedere debeant, sortitò posse distribui.

§. XIII.

Sitné licitus ille contractus Sortis, qui vulgo Fortune vrna solet appellari?

Huc reuocari potest *contractus Sortis*, quem *ludum olla*, aut *Fortune ollam* vocant; itémque ij, qui aleam iaciunt, statuto precio persoluendo, Symbolam conferentes, vt illius sit liber, aut ensis, aut annulus, cui alea addicit. Est enim & hoc genus sortiendi permissum, nec secundùm se est aliud, quàm *sors quedam diuisoria* ex beneplacito consortientium instituta, nec vlli aut diuino, aut humano iuri aduersa, si nulla fraus rem sorte acquirendam exponentis, aut expositam acquirentis interue-

E

ni-

ueniat; quod, in publicis ludis, cauere, pertinet, ad magistratum; in priuatis, ad conscientiam vniuscuiusque. Mille enim sunt modi alios decipiendi, aut peccandi. Nam qui mercem, in taberna, exponit (eâmq; verè, etsi implicitè, vendit omnibus illis, qui symbolis collatis summam conficiunt precio supellectilis expositæ æqualem) potest precium iniustum nominare; aut schedulas pecunia emendas nimium multiplicare; aut etiam vni, præ alijs, clam dare chartulam, in qua scyphus argenteus, vel equus, vel aliud bræuium est annotatum. Quæ omnia iustitiæ sunt aduersa. Item Princeps vel Magistratus ipse potest peccare; si aut merces mutari vel minui permittat primò expositas; aut aliquas merces prius patiat extrahi, ijs, quæ sunt preciosiores, in vltimum locum ac tempus reiectis, vt fortientes alliciantur; aut etiam, si sinat urnas in manu exponentium merces, easque noctu non signet, aut custodiat: aut si plures, quàm necesse sit ministros custodésque apponat, quorum stipendijs populus grauetur, quando stipendia precio rerum adduntur. Deniq; & ipsi ministri à magistratu constituti, possunt corrumpi, aut negligenter inuigilare,
ne

ne quid fraudis admittatur. His talibus do-
lis & culpis semotis, fors, seu *urna Fortuna*
licita est, & sæpe à Domino Deo in subsidi-
um pauperis alicuius temperata, vt pro se-
stertio equum, aut crumenam auro turgi-
dam accipiat, pro triobolo. Sæpe & auarum
centum Philippeis in urnam atque hamum
missis, non finit extrahere, quod teruncio
quoque emeret. Nimirum *Dominus paupe-*
rem facit, & ditat; humiliat & subleuat. Quia
ipse Dominus Deus noster: in vniuersa terra iu-
dicticia eius.

1. Reg. 2.
7.
1. Para-
lip. 16. 14.

CAPVT. III.

Quàm peruersè Deam, in Sortibus, imi-
tetur, Deisimius Cacodamon?

§. I.

In Sortibus magna cautela opus.

Monstrata via, qua dirigenda est
nauis, etiam digitus ad scopulos
intendendus est, ne naufragiū fa-
ciamus. Sunt enim infames hîc scopuli, sunt
Syrtes, sunt Charybdes, sunt Acrocerau-
nia. Ad quæ declinanda rursus tradenda
sunt documenta. Neq; enim semper, aut te-
merè, ad iudicium Sortis, licet recurrere;

E 2 immo